

BRD  
1981



1722.

1. Kestnerus, Henr. Ernestus: Recurso per gaudentibus  
privilegio cum sorte in concurrenza creditorum.

1724.

1. Barckhausen, Joannes Henodus ius. prof. ord: Program  
m s, quo ad orationem in ang. Coruli Daniellis  
Wippermannum invitat.

2. Bierlingius, Fridericus Justitius: Compectus Thesaurio.  
rum inter I. R. T. omnes et ordinum equestrem  
immodicam gloriacionem controveriarum.

Rec.  
Bielefeld 1725

3. Wippermann, Corulus David: De necessariis regaritis  
studiori universitatis

1725

1. Postel, Fridericus Noricus: Politicae iuri regii  
1 Sam. VIII expositi

1726.

1. Postel, Frid. Noricus: De conditionis sine causa  
fundamento et um.

1726

2. Postel, Fridericus Ulricus: *Utrum annis testis faciat  
testimonia locum.*?

3. Zoll, Tacitus Horicius: *De Ghi expensas cum cœfione.* 1.  
1728.

1. Postelius, Fridericus Ulricus: *Programma, quo ad dispensationem  
publicam Henrici Rogge invitatur.*

2. Postel, Fr. Ulricus: *De iusta cœteratione  
clericorum jure Hamburgi.*

1729.

1. Fuerstenau, Jo. Herm: *Theses medical inaugurales.*

2. Postel, Fr. Ulricus: *De cautione usurpacionis  
nec a testatore nec a judice pauperi clavis  
linda.*

1731.

1. Henbray, Iacob. Engel: *De idolatria deo his  
non nunquam presibus immace agmina.*

1732,

1. Pestel, Fridericus Murius: De lego Amsterdiana

1733.

1. Pestel, Fridericus Murius: De causa a p[re]dicatore  
anisomatis: surrogatus sapit naturam ejus,  
cui est surrogatum

2. Pestel, Fridericus Murius: De usu practice capitis  
diminutionis mediceae.

1734.

1. Pestel, Fr. Murius: De relaxatione juri iurandi  
dolo mali obiecti.

1735-

1. Pestel, Fridericus Murius: Semicenturie observa-  
tionum iuris circa homicidium dolosum  
ejusdamque poenam.

2. Pestel, Fridericus Murius: De legibus ex imperfectis  
testamentis relictis praestans vel non  
praelstandis

1735

3. Pestal, Fr'd. Maria: *Maria contractibus  
magis adjici solitio.*

4. Schramburg, Jan. Gasp: *De auctoris veteris de  
beneficiis, velutate. Programma, quo ad audiendum  
orationem: De Nachtmellitus academico.  
initiat.*

5. Schramburg, Jan. Gasp: *De prajudicio priu-  
ium superiori ex uno iuri occurrandi aucto-  
rum privatis in Germania prosperam assertio.*







H. C. Helmner De operis n.

4  
P.34. num. 16. *Edd. 343*  
DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE  
**LEGE ANASTASIANA,**

QVAM  
FAVENTE DIVINA GRATIA  
IN ACADEMIA HASSO-SCHAUMBVRGICA  
EX DECRETO  
ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICÆ  
P R A E S I D E  
VIRO MAGNIFICO, CONSULTISSIMO, EXCELLEN-  
TISSIMO ET AMPLISSIMO,  
DOMINO  
**FRIDERICO VLRICO PESTEL**  
IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE CELEBERRIMO, EIVSDEMQUE  
PROFESS. PRIMAR., NEC NON PHILOSOPHIÆ MORALIS  
PROFESS. PVBLICO ORDINAR. MERITISSIMO,  
H. T. ACADEMIAE RECTORE,

**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQUE IVRE HONORES  
RITE CONSEQUENDI,  
DIE DECEMB. A. O. R. M DCC XXXII.  
PVBLICÆ DNN. PROFESSORVM DISQVISITIONI  
SUBMITTET  
**FLORINV<sup>S</sup> FRIDER. MARQVAR<sup>D</sup>**  
LEMGOVIA-WESTPHALVS.

RINTELII.

TYPIS IOH. GODOFR. ENAX, ACAD. TYP.



## *Benevole Lector!*

Sisto Tibi quidem hisce paginis Dissertationem meam Inauguralem, sed valde doleo, quod plus temporis elaborationi dare non potuerim, & consequenter multi errores sine dubio, me inscio atque in-vito irrepserint. Quod si autem in hacce Disserta-tione mea B. L. vitia attendas, me quæso excusatum habeas; Pro præsenti enim vitam meam in comita-tu Pyrmontano ruri dego, ubi nuperrime œcono-miam institui, nec non ædificia, villæ meæ inservien-tia, paucos ante menses reficere coepi. Sed nec hæc sunt sola illa, quæ meditationes meas nimis sæpe distraxerunt. Præter curas enim ad agrum spectan-tes, medium inter febrem, omnibus fere libris, pro-pter œconomiam meam noviter, prout dixi antea, & quidem ruri institutam, destitutus, hancce Differ-entiationem elaboravi. Vitiorum itaque tam contra methodum quam contra rem ipsam a Te B. L. ite-rum iterumque veniam peto, nihil magis exoptans, quam ut me Tibi semper habeas commenda-tum. Vale.



DE  
LEGE ANASTASIANA.

Q. D. B. V.

§. I.

Socetas est status, quo duo vel plures finem aliquem communem obtinere conantur.

Litem redimere (per l. 53. ff. de Paclis. l. 7. ff. Mandati. l. 1. §. 12 ff. de Extraordinar. Cognitionibus. l. 15. C. de Procurat. & l. 20. C. Mandati.) nihil aliud est, quam pacisci societatem futuri emolumenti litis.

§. II. De quota parte litis v. g. dimidia, tertia, quarta paciscens, re vera societatem init futuri emolumenti litis cum cedente. (§. I.) Illi igitur in verbis saltem a nobis differunt, in re ipsa autem nobiscum fere convenient, qui Litem redimere nihil aliud esse dicunt, quam de quora parte litis transfigere.

§. III. Rem dubiam, sive in dubio esse dicimus illam, cuius veritas non constat.

A

§. IV.

§. IV. *Judicium* est actus mentis quo aliquid a re quadam diversum eidein tribuimus, vel ab ea removemus; sive quo duas notiones vel plures simul duabus æquipollentes conjungimus vel separamus: Hinc *judicium anticipatum* nobis dicitur id, quod de rebus dubiis fertur.

§. V. *Conjectura* est *judicium anticipatum*.

§. VI. *Præsumtio* est *conjectura ducta ab eo,* quod plerumque fieri solet.

§. VII. Nunc sciendum est, interdictum olim fuisse (*per l. 15. C. de Procar. & l. 5. C. de Postulando*) tam *Advocatis*, quam *simplicibus procuratoribus* de quota parte litis v.c. dimidia, tertia, quarta, quinta &c. pacisci; Verum enim vero quia ipsa *l. 22. C. Mand.* & quidem verbis: *Nulla etenim tali ratione intercedente redemptor magis existit; præsumptionem continet, quod regulariter cessiones litis redemtiones quasi involvant, adeoque in fraudem legis fiant, talismodi cessiones, ad minimum olim sæpe factas esse, ex ipsa præsumptionis sequitur definitione.* Conferas §. VI. & *Sichardum in Commentario ad Codicem tit. Mandati.*

§. VIII. Actionum cessiones, ad minimum olim, sæpe litis redemtiones involvisse, §. præcedenti VII. novimus. Quod si quis autem ex me quæreret, quomodo actionum cessiones, per venditionem factæ, litium redemtiones continere, adeoque secundum veteres, in fraudem legis fieri queant? ex meo conceptu §. I. allato responderem, quod duplici ad minimum modo hoc contingere possit; I. scilicet, si

si creditor nomen quidem mediante venditione cedit, sed pro certa parte debiti in casum victoriae ipsi a cessionario solvenda, aut 2. si creditor totum nomen quidem cedit, ita tamen, ut pars debiti, quam cedens & cessionarius inter se constituerunt, cedenti a cessionario parata pecunia, sub conditione in casum succumbentiae reddendi, statim solvatur, altera autem pars cessionarii lucro in casum victoriae cedat.

§. IX. His demonstratis, solliciti sumus non oporter, an cessionarius vel debitoris lacerandi & vexandi, vel improbilucri captandi gratia actionem sibi cedi curaverit, nec ne? Vi demonstratorum tota quæstio eoredit, an cedens & cessionarius societatem futuri emolumenti litis pacti sint, nec ne? Quapropter etiam glossa ad l. 22. C. Mand. verba: cum certum sit, pro indubitate obligationibus eos magis, quibus antea suppeterant, jura sua vindicare, quam ad alios transferre velle; sic explicat, quod scilicet, cum præsumtive certum sit, pro indubitate obligationibus eos magis, quibus antea suppeterant, jura sua vindicare, quam ad alios transferre velle, præsumatur, quod cedens cessionario commiserit, ut quod consecutus ex lite fuerit, partim cedentis redat, & partim ipse retineat.

§. X. Nunc de lege Anastasiana tractaturi, præprimis B. L. ad l. 22. C. Mand. quippe quam Legem Anastasianam vocare Jure Consulti consueverunt, & l. 23. C. eod. a Justiniano, Anastasianæ constitutioni subveniente, latram remittimus; ad examinationem quæstionem: An Lex Anastasiana ad

actiones incertas & dubias restringenda sit? nos sine mora convertentes.

§. XI. In genere loquitur de actionum cessione Imperator Anastasius *in l. 22. C. Mand.* & quidem tam in initio quam in fine *d. l.* Lex igitur Anastasiāna ad actiones incertas & dubias neutiquam restringenda est.

§. XII. Aliam, si forsan hæc non placeret, demonstrationem addamus; aut legem Anastasiānam latam esse, ne debitores vexentur, aut ne cessionarii improbum lucrum caprent, aut ne societas futuri emolumenti litis inter cedentem & cessionarium paciscatur, aut aliud quid adducas, omnia tamen illa tam incertis, quam in incertis suo modo occurrere possunt. Rationem igitur iterum non video, cur Lex Anastasiāna ad actiones incertas & dubias restringenda sit. Adhuc alias probationes dedit Brunemannus in tractatu de cessione actionum *cap. I. §. 52. & 53.* unam a priori; alteram vero a posteriori desumtam.

§. XIII. Indubitatas actiones neminem cessurum esse, in sæpe *cit. l. 22. C. Mand.* dicit Imperator Anastasius. Hisce ex verbis Coccejus in *jure controverso lib. 18. tit. 4. quæst. 24.* in decidendo: Lex Anastasiāna restringenda sit ad actiones incertas & dubias contrarietatem evincere intendit, eaque propter cit. verba, tanquam suæ sententiæ negativæ obstantia allegat, fibi ipsi objiciens: Nemine actiones indubitatas cessuro, de dubiarum saltem actionum cessione hic loqui Imperatorem: Statim vero ad

ad hanc objectionem responderet, distinguendo inter actiones ratione probationis & ratione exactio[n]is certas atque incertas hacque distinctione præmissa omnes omnino actiones, & consequenter etiam ratione probationis certas ac indubitatas, ratione exactio[n]is incertas dicit; Imperatorem hic de actionibus ratione saltem probationis indubitatis loqui affirmans. h. e. talibus, quæ probari possunt & quas cedens putasset seprobaturum; adeoque quæ ita certæ sunt, ut non diffidat victoriae.

§. XIV. Indubitatas actiones neminem celsuram esse, §. proxime antecedenti l. 13. & l. 22. C. Mand. habuimus, sententiamque Cocceji addidimus; Verum enim vero, modo Coccejum mittas in Jur. Contr. l. c. ex hisce verbis (indubitatas actiones dicas, quas velis) clarum est, aut glossæ sententiam firmari, aut ad minimum cessionarium cedentem ad cessionem induxit.

l. 22. C. Mand. pecuniarum quantitatem, cessionario actionem exercere permittitur, solutionem autem factam esse est affirmatio; hinc per l. 2. & 21. ff. de Probat. quantitatem solutam probare debet cessionarius.

§. XVI. Solutarum pecuniarum quantitatem cessionarius probare debet. (§. XV.) Ratios apposuimus, quia solutionem factam esse est affirmatio. Cum autem alia etiam ratio forsitan posset, nostrum esset indagare, quænam vera hic ratio salutanda sit? Ast quia hoc usque principia, ex qui-

quibus hoc erui deberet, nobis desunt, hancce quæstionem infra decendam sumemus; jam igitur in dubio (*conf. §. 3.*) rationem §. 15. allatam, propter analogiam juris, quippe a qua sine causa haud receundum, pro vera ratione agnosco.

§. XVII. Deditus supra §. 6. definitionem præsumptionis. Hanc præsumptionem a Doctoribus dividi solere in præsumptionem hominis, juris tantum, & juris ac de jure, omnia fere tam juris Civilis, quam Canonici compendia liquido quidem testantur, sed in iis definiendis ac denominandis, nec non in earundem qualitatibus mirum in modum variant.

§. XVIII. *Præsumptionem juris* nos definimus per eam, quæ a lege inducitur, sive in lege fundata est.

§. XIX. *Præsumptionem hominis* nos definimus per eam, quæ ab homine capitur, sive a judice inducitur. Præsumptionem juris & de jure infra definimus, simul ac aliorum definitiones, quas de illa derunt, paululum ex aminabimus.

§. XX. *Præsumitur id, quod plerumque fit* (§. 6. & l. II 4. ff. de R. J. nec non Reg. 45. de R. J. in 6.) *Hinc non præsumitur mutatio, sed res potius in eodem statu mansisse.* cap. semel. de Reg. Jur in 6.

§. XXI. *Actiones bone* in foro juridico dicuntur, quæ legibus Civilibus conformes; *Male,* quæ iisdem contrariae; & *indifferentes,* quæ iisdem plane non determinantur, h. e. neque injunguntur, neque prohibentur.

§. XXII.

§. XXII. Plurimas civium actiones vel bonas vel ad minimum indifferentes; pauciores vero malas esse, experientia consentaneum est; hinc quilibet generaliter præsumitur bonus, *conf. l. 56. ff. de R. Z.* Hinc etiam dicimus; Quælibet præsumtio est delicti exclusiva; sc. regulariter. Hac cum sententia facit Menochius *lib. 5. qu. 161, n. 26.* & *Mascarus de probat, concl. 496.*

§. XXIII. *Præsumtiones generales* sive *universales* eas vocamus, quæ omnibus negotiis regulariter communes; *speciales*, sive *singulares* contra præsumtiones dicimus eas, quæ uni tantum negotio, vel etiam quibusdam paucis propriæ sunt factis.

§. XXIV. *Factum* nobis denotat actionem humanam, sub circumstantiis singularibus, pro legis ratione necessariis, consideratam.

§. XXV. Præsumtiones supponunt facta, quippe ex quibus elicuntur. (§. 23.) & facta circumstantias singulares (§. 24.) Præsumtiones itaque circumstantias singulares supponant, necesse est.

§. XXVI. Præsumtiones singulares factorum circumstantias supponunt; (§. 25.) sicuti nunc circumstantiae factorum non solum sunt maxime semper diversæ, prout experientia id satis testatur, sed fere etiam infinitæ; ita præsumtiones quoque speciales esse admodum diversas, æque ac infinitas, satis clare patet. Huic sententia sece adscribit Corvinus in *Jure Canonico lib. 3. tit. 30. §. 12. & ill. Böhmerus*, famigeratissimus Hallensis Jure Consultus, in notis ad Corvinum, quasdam præsumtionum causas reconsentem.

§. XXVII.

§. XXVII. Præsumtiones supponunt res dubias, & plerumque contingentes (§ 3. 4. 5 & 6.) Cum autem interdum vel rariora accident, fieri potest, ut adversarius præsumptionis contrarium probare posset; Præsumtiones igitur in genere, & consequenter juris quoque præsumtiones sunt mutabiles, quapropter nil æquius, quam quod adversarius ad probationem in contrarium ad minimum admittatur; quia cum sententia etiam facit jus Canonicum in C. ult. X. de *Præsumtionibus*.

§. XXVIII. Ex §. proxime præcedenti 27. controversia oritur, an præsumtiones juris, uti vocantur, eum, pro quo militant, ab onere probandi relevant & consequenter contrarii probationem in adversarium transferant, &, si in hunc non transferant, an tunc ille thesin suam *amplius* probare debeat, nec ne? Has quæstiones successive considerabimus.

§. XXIX. Duas priores quæstiones §. 28. An nimirum 1. relevet ab onere probandi, & 2 an contrarii probationem in adversarium transferat (*ex all. C. fin. X. de Præsumtionibus, & §. 3. hujus nostræ diff.*) affirmative decido; Ex hoc igitur fluit, eum, pro quo est juris præsumtio, ad probandam suam thesin non esse obligatum. *Amplius* autem probare non potest, licet probatio ei incumberet, quia *cit. C. fin.* probationem & præsumtionem satis clare distinguit; sed hoc incidenter; Ast quia incidenter, etiam contra Methodum peccavi ex improvviso, in malam partem B. L. mihi hoc non vertas.

§. XXX.

§. XXX. Jus commune JCtis est instar regulæ, adeoque regulariter (h. e. in casibus, si non omnibus, attamen plurimis) obtinet; & jus singulare est iisdem instar exceptionis, adeoque a jure communi, tanquam regula, recedit, & in paucis casibus obtinet.

§. XXXI. Mutatio non præsumitur (§. 20.) quibus verbis alii addunt: sed est probanda. Nec voluntatis igitur mutationem in legislatore præsumi posse, in aprico est; Hinc tritum illud JCtorum: Jus singulare est strictæ interpretationis; sive, quod idem est: Jus singulare ita est interpretandum, quo minus recedat a jure veteri. Alii ita hoc exprimunt: Pro regula præsumitur, donec exceptio probata fuerit.

§. XXXII. Tenor juris communis in præsumptionum materia est, quod afferenti, sive aliquid affirmanti incumbat onus probandi. l. 2. & 21. ff. de Probab. conf. §. 15. Tenor contrajuris singularis in hacce materia est, quod juris præsumtio relevet ab onere probandi (§. 29.)

§. XXXIII. Jus singulare ita est interpretandum, quo minus recedat a jure communi. (§ 31.) Hinc cum iis facimus, qui saltem juris præsumptionem; minime vero hominis, modo non sit magni momenti, ab onere probandi relevare docent. Sed quæritur: quando sit magni momenti, & quanti? Regulam, respondeo JCtorum, quam ex l. I. ff. de jure deliberaudi eliciunt, formantque, meam pro nunc facio

facio, quæ ita se habet: Judicis arbitrio relinquitur,  
quod jure definitum non est.

§. XXXIV. Nunc nostrum erit, ut in gene-  
ralibus pauca etiam de præsumptione juris & de jure  
moneamus.

§. XXXV. *Præsumtio juris & de jure* secun-  
dum plurimorum Doctorum opinionem definitur  
per eam, quæ in Lege fundata, probationem in con-  
trarium prorsus excludit.

§. XXXVI. Prædictam definitionem aliqui  
Doctorum ita corrigendam esse putant, ut scilicet  
probatio contrarii admittatur: verum, prout nos  
quidem opinamur, præsumptionem juris violentam  
(h.e. cuius probatio in contrarium valde difficilis  
est) cum præsumptione juris & de jure confundunt.  
De cætero tam hi, quam illi contra regulas logicas  
impingere mihi videntur, dum illi genus constituant  
præsumptionem; omnis vero præsumtio contrarii  
probationem necessario admirtere debeat. (§. 27.)  
Vitium §. sequenti sic demonstro.

§. XXXVII. Sic dicta (§ 35.) præsumtio juris  
& de jure per genus in definitione, quam §. 20. attuli-  
mus, constitutam contrarii probationem admittit;  
(§. 27.) Verba vero cetera dictæ definitionis contra-  
rii probationem claris verbis excludunt. Nonne  
contradiccio adest? Nobis ita videtur. Tota ergo  
definitio corruit. Nostra definitione, quam §.  
sequenti dabimus, cum hac collata, hanc non nisi in  
genere vitiosam deprehendimus. Hoc vitio de-  
monstrato prædictam definitionem ita, prout ab  
aliis

aliiis correcta est, considereremus. Sed ut breviter dicamus, quod res est, veram illi differentiam inter præsumtiones hominis, juris tantum, ac juris & de jure ostendere nequeunt; quapropter vel horum definitio, licet correcta nihilominus pro vitiosa reputari debet.

§. XXXVIII. *Præsumptionem juris & de jure,* si hocce vocabulum retinere velimus, nos definimus per legis dispositionem, probationem in contrarium plane excludentem. Hinc verba legis dispositiva, h. e. ea, ex quibus clare appetat, hanc vel illam rem, ex voluntate legislatoris, sese sic non aliter habere debere, ad præsumptionem juris & de jure, uti vocatur, præcise requiruntur. *conf. ill. Boehmeri introd. in jus Digestorum tit. de probat. & præsumtionibus.* §. 14.

§. XXXIX. Generi per speciem derogari, neque logicosex sana ratione, neque Jure-Consultos ex C. Generi. 34. de R. J. in 6. later. Ex hoc igitur generalem præsumptionem speciali cedere debere, colligimus; *conf. §. 23.*

§. XL. Quemlibet bonum generaliter, sive potius regulariter, præsumi, supra habuimus. (§. 22.) Eos autem, qui alienas pecuniis præstitis subeunt. h. e. acquirunt actiones nulla 4. exceptorum casuum ratione intercedente, litium alienarum redemptores in lege Anastasiana specialiter & quasi per modum exceptionis præsumi, & l. 22. C. Mand. & quidem ex verbis: *Nulla etenim tali ratione intercedente, redemtor, (sicuti superius declaratum est) magis*

*existit, qui alienas pecuniis præstitis subiit actiones;*  
satis clare patet. *Quæstionem:* An hæc vel illa in  
materia hacce speciali præferenda sit præsumptio?  
decisurus, decisionem (ex §. 39) petas, necesse est.

§. XLI. Jus commune dicitur id, quod regulariter obtinet; (§. 30.) Hinc jus etiam alias singulare, in speciali autem quadam materia obtinens, jus commune, relative tale, dici omnino meretur.

§. XLII. Simulatio regulariter non præsumitur. (§. 22) sed actus potius sic præsumitur gestus, quomodo geri debuerit. *arg. l. 29. §. 1 ff. de liberis & posthumis:* Lex Anastasiana autem contra jus commune & quidem verbis: *Nec enim dubium est, redemptores litiū alienarum videri eos esse, quia tales cessiones in se confici cupiunt;* deinde verbis: *ita tamen, ut si quis datis pecuniis hujusmodi subierit cessionem, usque ad ipsam tantummodo solitarum pecuniarum quantitatiam & usurarum ejus actiones exercere permittatur;* licet instrumento venditionis nomen insertum sit; nec non verbis: *Nulla etenim tali ratione intercedente, redemptor (sicuti superius declaratum est) magis existit, qui alienas pecuniis præstitis subiit actiones;* cessionis simulationem regulariter, prout ex tribus locis *l. 22. C. Mand. jam jam adductis, pater, præsumit, sicque sibi ipsi jus commune, relative tale, format;* id, quod tamen alio respectu jus singulare esset dicendum.

§. XLIII. Cum mutatio voluntatis in legislatore non præsumatur, (§. 31.) in casu simili idem voluisse præsumendus est; hinc non præsumitur so-

solum, quod hæc vel illa lex jus commune contineat, sed iuri etiam communi a nobis propria dicitur interpretatione extensiva, quippe quæ vulgato illo nitione: Ubi est eadem ratio; ibi est eadem legis dispositio.

§. XLIV. Jus commune, relative tale, licet odiosum, in sua relatione sumtum, pariter est jus commune, ac jus commune simpliciter tale per Canonem philosophicum: Cuicunque competit definitio, eidem & competit definitum. conf. §. 30.

§. XLV. Juri communi, relative tali, in sua relatione considerato easdem affectiones, quæ in jus commune simpliciter tale cadunt, & consequenter etiam interpretationem extensivam adscribimus, (§. 44.)

§. XLVI. Jus commune, relative tale, licet odiosum, interpretationem extensivam pati & potest & debet. (§. 45.) Hanc ob causam presumptionem simulatae cessionis in Lege Anastasiana (per §. 42) fundatam, nulla ex exceptorum casuum ratione intercedente, ad casum, si actio permutationis titulo cessa, sed pretium speciei, pro nomine datæ, non sit nomini æquivalens extendimus, cont. l. 23. C. Mand,

§. XLVII. Presumptionem simulatae cessionis (per §. 42) in lege Anastasiana fundatam; licet instrumento cessionis venditionis nomen insertum sit, tanquam jus commune, relative tale, in sua relatione h. e. respectu legis Anastasianæ consideratum sumptumque, ad alios casus extendere non dubitamus; (§. 43.) eaque propter cum iis facimus, qui ex omissione

sione tituli in instrumento cessionis simulatam cessionem de jure præsumi opinantur.

§. XLVIII. Quamlibet læsionem in jure non attendi, res per l.2 C.de rescind. vendit. expedita est; quamlibet deinde legem jus commune continere (§. 43.) demonstravimus; hinc aliam læsionem, quam ultra dimidium in toto jure Romano non agnoscimus, sed illam potius (per cit. §. 43.) ita extendimus, ut pretium parvum respectu cedentis, ad refectionem agentis, haud dicamus, nisi actio cessa dimidio major sit. Quodnam vero pretium respectu debitoris, legem Anastasianam per modum Exceptionis allegantis, parvum dicatur, sequens §. docebit in fine.

§. XLIX. Plurimos homines parta tueri, bene didicerunt; hinc jactare suum nullus præsumitur. l. cum de indebito 25. §. qui non solvit. ff. de Probat. Cum hac generali præsumtione coincidit specialis legis Anastasianæ hisce verbis: *Cum certum sit, pro indubitate obligationibus eos magis, quibus antea suppeterebant, iura sua vindicare, quam ad alios transferre velle.* Cessionis igitur simulatio præsumenda erit, si pretium parvum & actio magna dici potest. Sed quando dicitur hoc respectu pretium parvum? Regulam, respondeo, J. Ctorum iterum meam facio, quam (§. 33.) adduxi. Lauterbachius scribit in compendio Juris: De justitia pretii arbitratur judex, pro variis circumstantiis, secundum communem aestimationem vulgi.

S. L.

§. L. Simulatio cessionis recte præsumitur, licet tercia persona fuerit interposita, cui dicatur nomen pro parte cessum. (§ 42.)

§. LI. Sed redeo ad me ipsum. Quid itaque moram neco in singulis casibus afferendis, & decidendis. Sufficiat nobis generalis legis Anastasianæ præsumtio: *Nulla etenim tali ratione &c.* Ast de hac in sequentibus.

§. LII. Hactenus vim nostræ probationis cessiones nempe actionum simulatas (quatuor casibus ipsa lege exceptis) præsumi, in interpretatione extensiva quæsivimus; Nunc aliam demonstrationem, si Tibi forsitan B. L. hactenus adducta displicerent, §. sequenti adjiciamus, eidemque interpretationem comprehensivam fundamenti loco subjiciamus; eum Philosophis facientes ita loqui solitis: Quodcunque valet de genere, illud etiam valere debet de omnibus speciebus sub genere contentis.

§. LIII. Verba legis Anastasianæ simulatae cessionis præsumptionem inducentia, & §. 42. in fine excerpta, ut nobis quidem videtur, generalia sunt: Ex illis itaque supposito, quod, si nulla 4 exceptorum casuum ratio intercedat, simulata in genere præsumatur actionum cessionis; in singulis casibus, & consequenter non solum in supra enarratis, sed etiam omnibus specialibus reliquis simulationis præsumtioni locum esse sequitur.

§. LIV. Demonstravimus supra (§. 29.) juris præsumptionem ab onere probandi relevare eum, pro quo militat, adversarium vero ad onus probandi ad-

adstringere. Demonstravimus quoque supra (§. 42.) prima, & (§. 53.) secunda vice, cessiones actionum regulariter, h. e. 4 casibus ipsa lege exceptis, cessionarii ex parte minimum simulatas præsumi. His collatis, cessionarium ad probationem non factæ simulationis adstringi; debitorem vero ab onere simulationem probandi liberum esse, concludimus.

§. LV. Ab onere probandi simulationem cessionis debitorem liberum esse, §. præcedens 54. satis clare probat. Cum autem beneficium non conferatur in invitum, *l. fin. C. unde legitimi;* sed juri suo potius quilibet renunciare possit, *l. si quis in conscribendo. 51. C. de Episcop. & Clericis & l. pen. C. de pactis;* ad simulationem probandam se se ultra offerre potest.

§. LVI. Simulationem in nominis cessione nullam adesse, cessionarium probare debere §. 54. affirmavimus. Verum enim vero objici posset, quod Lauterbachius in compendio juris, aliquæ Doctores propositionem simpliciter & indeterminate negantem per rerum naturam non posse probari, absque ulla ratione haud statuant. Sed posito; minime tamen concessio, quod præsens propositione hujusmodi sit farinæ, breviter respondeo, quod i. non sit jurandum in verba Magistri, & consequenter nec autoritati Doctorum inhærendum. 2. Lauterbachio facile satis, fieri potest, dum sibi ipsi quodammodo contradicit: Per scripturam, inquiens, interdum probatur. Ut autem 3. dicamus, quod res

res est, nostri instituti ratio hujus quæstionis decisio-  
nem directo & necessario haud postulat; sufficiat no-  
bis, quod, per C. fin. in f. X. de jure jur. & C. 8. X. de  
purgat. Canonica, suspicionibus gravatus juramen-  
tum purgatorium præstare, atque sic innocentiam  
suam ostendere teneatur. Hancce doctrinam vel  
in hac materia, casu existente, applicandam ducimus.  
(§. 31.)

§. LVII. Hominis præsumptionem ab onere  
probandi per se & sua natura non relevare, supra  
(§. 33.) didicimus; interim vero si magni momenti  
effer (cit. §. 33.) adjecimus, arbitrioque judicis relin-  
qui, quod iure definitum non est, ex l. I. ff. de jure deli-  
berandi (all. §. 33. & 49.) monuimus. conf. l. in ven-  
ditionem 8. ff. de rebus auctor. jud. possidend. & cap. de  
causis §. 1. de officio delegati; Hinc etiam in lege Ana-  
stasiana præsumptio simulata cessionis, licet juris sit;  
per hominis præsumptionem, si maximi ex arbitrio  
judicis momenti est, vinci ita potest, ut tunc cesso-  
narius probare non teneatur, quod nulla simulatio  
subsit, sed debitor hoc casu ad simulationem, sive, ut  
alii loqui amant, palliationem probandam adstrin-  
gatur.

§. LVIII. Præcedentem §. 57. exemplis Brun-  
nemanni (vid. ejusdem commentarius ad C. tit. Mand.)  
benevoli Lectoris pace illustrabimus; si scilicet v. g.  
nomen quoddam sub hasta vendatur; aut cesso in  
præsentia debitorum cessorum, & quidem in illam  
consentientium fiat, aut nomen cessum in consequen-  
tiam rei venditæ veniat. Primum casum videre,  
C etiam

etiam licet in notis Stryckii ad Lauterbachium una cum ratione, quod quæ publice fuent, omnem simulationem & sinistram suspicionem excludant. Ex hac ratione primus casus mihi haud displicet; secundum & tertium casum quidem non rejicimus; tantum valoris vero, quantum primo horum, præsumptioni neutiquam tribuimus. Unum autem adhuc casum in Brunnemanni quidem commentario, quantum scio, non existantem, oblitione tamen haud dignum, adjiciamus, si quis scilicet legitime h. e. eatenus, quatenus jura id postulant, probat, se numquam, data occasione, contra legem Anastasianam peccasse. *conf. §. 39.*

§. LIX. Diximus supra (§. 18.) quod nobis præsumtio juris ea sit, quæ a lege inducitur, sive in lege fundata est. Allegavimus pariter (§. 42.) verba ipsius l. 22. C. *Mand.* sic ibi proleta: Nulla etenim ratione intercedente redemptor magis existit, qui alienas pecuniis præstitis subiit actiones. Quin itaque simulatæ cessionis præsumptionem juris vocemus, scilicet præsumptionem, non dubitamus.

§. LX. Simulatæ cessionis præsumptionem juris præsumtionibus annumerandam esse, § proxime antecedenti 59. demonstravimus; juris vero præsumptionem eum, pro quo militat, ab onere probandi relevare, supra §. 29 monuimus. Ex his igitur liquido constat, quod debitor, cessionem simulatam afferens, ab onere simulationem probandi liber fit; Cessionarius autem propter regulam juris, ex l. I. C. *de probationibus inferri solitam:* Facta sunt pro-

una  
mu-  
Ex  
cun-  
ran-  
um-  
huc  
han-  
aud  
n. e.  
un-  
am  
obis  
e in  
rba  
tali  
i a-  
ita-  
ce-  
em  
xi-  
ero  
ro-  
gi-  
nu-  
per  
ex  
nt  
ro"

probanda, & expressa verbal. l. 22, C. Mand. Ad ipsam tantummodo solutarum pecuniarum quantitatem; quantum re vera solvit, probare debeat. conf. § 15. & 32.

§. LXI. Solutarum pecuniarum quantitatem cessionarium probare, supra diximus (§. 15. & 16.) rationemque apposuimus, quod, solutionem factam esse, sit affirmatio, quippe quam rationem l. c. provera ad interim agnoscere debebamus in dubio: Cum autem, uti pariter ibi monuimus, alia etiam ratio fors dari posset, scilicet, quia cessio actionum regulariter praesumitur simulata (§. 42.) nostrum jam dicimus, principia ponere, ex quibus postea appareat, quænam ex his duabus rationibus vera salutanda sit?

§. LXII. L. 22 C. Mand. in tota sua connexione considerata, cessarum actionum simulationem respicit. (§. 42.) Ergo ne hic quidem ab eadem resiliisse praesumendum est. (§. 20. & 31.)

§. LXIII. Brunnemannus ad l. per diversas 22. & l. ab Anastasio 23. C. Mand. in commentario ad codicem rationem probandæ solutionis in simulationis præsumtione non solum ponit, sed etiam cedentis confessionem ad probandam solutionem haud sufficere, ex ea concludit. At si ultima conclusio §. 14. tibi forsan arrideret, per ipsa l. 22. C. Mand. verba: Cum certum sit pro indubitate obligationibus eos magis, quibus antea suppeditabant, jura sua vindicare, quam ad alios transferre velle; cedentis consensum excludi statuas, necesse est. In quibusdam igitur ad minimum casibus probatio factæ solutionis per-

C 2

con-

confessionem cedentis sufficiens esse debet. Sed ne quis fortasse existimet, quod, hisce casibus jure expressis verbis haudquam definitis, h. e. determinatis, per regulam Jure Consultorum (§. 33. & 49. allatam) arbitrio judicis relinquendi sint; ideo demonstrandum nobis sumpsimus, quod in quibusdam saltem casibus confessio cedentis, nullam simulationem subesse probet, & cur non in omnibus sufficiens sit?

§. LXIV. *Testis* est persona, eum in finem producta, ut dictis suis judici fidem faciat de facto probando.

§. LXV. Testes non suspecti ad testimoniū dictionem admittuntur, omnesque contra suspecti ab eadem repelluntur; idque tamen ex analogia juris, quam ex definitione testis §. jamjam præcedenti 64. allata.

§. LXVI. Cessante causa cessare effectum, Philosophis certum est; Cessante igitur causa insufficientiae testimonii, quod cedens dicit; scilicet suspicione ex illius parte, testimonium quoque ejus, licet cedens quibusdam testis omni exceptione major non videretur, merito tamen admitti deberet. Nobis ergo sic distinguendum videtur: Aut in actionis cessione pro circumstantiarum ratione (§. 25. & 26.) præsumi potest, quod cedens simulationis sit particeps; aut non potest. Priori casu cum Brunnemanno facimus; statuentes, quod tunc per confessionem cedentis, qui hoc respectu ut testis considerari debet, probari nequeat. (§. 65.) Posteriori au-

Sed  
jure  
ter-  
49.  
de  
dam  
tio-  
iens  
em-  
facto  
onii  
pecti  
a ju-  
enti  
um,  
suf-  
r su-  
pejus,  
ma-  
ret.  
n a-  
ne-  
tio-  
cum  
per  
testis  
iori  
au-

autem ab eo, generaliter sic docente, recedimus.  
(cit. §. 65.)

§. LXVII. Cessionarius ad probationem non simulatae cessionis adstrictus est, (§. 60.) Cum autem probatio per confessionem cedentis semper, semperque haud sufficiat; (§. 66.) alios probandi modos arripare debet, v.g. per instrumenta publica, quasi publica vel privata, aliorumque non suspectorum testimonia, quibus tamen ultimis, si per ea plene non probatum, sed saltem semi-plene, aut aliquid supra per *I.3.C. de Jure jur.* & ex analogia juris accedere debet juramentum suppletorium; id, quod etiam alio respectu, si scilicet secundum literam sumitur, & ut terminus juridicus non consideratur, purgatorium dici posset. Licet igitur nomen quoddam absque ulla simulatione alicui cedatur; cessionarius sibi optime consulet, si nihilominus tamen statim in futurum sibi prospiciat de modo probationis.

§. LVIII. Nunc adhuc unicus, quia praesentis vitæ mensio, B. L. majorem amplificationem, sive potius ampliationem hujus Diff. accuratioremque materiarum tractationem, proh! dolor, non concedit, nobis causis ex nostro proposito restat: An nimirum verba *I.23. C. Mand.* Generaliter *Anastasia- ne Constitutionis subvenientes, sanctimus, nulli licere partem quidem debiti pecunii acceptis & venditione actionum habita, partem au- tem donationis titulo videri transferre;* Juris tantum presumptionem contineant, vel juris & de jure? Nos hancce quæstio- nem sic decidimus.

§. LXIX. Ad probandum se se ultra offerens, regulariter admittendus est (§. 55.) Irregularē igitur & singulare est, si ad probandum quis per leges non admittitur. Cum autem pro regula presumatur, donec exceptio probata fuerit, a proba- tione

tione aliquis regulariter, h. e. nisi leges id expresse statuant, arcendus non est, (§. 31.) Præsumptionem itaque juris & de jure, expressis verbis, quæ probationem in contrarium excludunt, in jure deficientibus, statuendam non esse, per se clarum est: Quapropter verbal. 23, C. Mand. a nobis §. 68. allata, pro præsumptione juris & de jure haudquaque sunt reputanda.


§. LXX. Ultima nunc questio (§. 69.) decisa, finem nostræ dissertationi imponamus, de cœtero tibi appreco, B.  
L. ut tibi bene sit in æternum.

---

### *ADDITIONES.*

---

- I. Consistoria non sunt præcise & absolute necessaria.
- II. Jurantes Deo nihil pro mittunt.
- III. Usuræ sunt juris divini.
- IV. Quod læsio usque ad dimidium in foro Juridico non attendatur, justum est.
- V. In nativitate liberorum minimus terminus AQVO est VII, mensium.
- VI. Summus Terminus AD QVEM est principium undecimi mensis.
- VII. Pretii fundamentum consistit in raritate & utilitate rerum.
- VIII. Testamenta non sunt juris Naturalis.
- IX. Donationes mortis causa, absque solennibus consideratæ, sunt juris Naturalis.
- X. Officia erga proximum fluunt ex officiis erga se ipsum.









Rinteln, Diss., 1722-35

X 241 87 69



B.I.G.



G.34. num. 16. *Leverkusen*

14

DISSESTITO IVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE  
**LEGE ANASTASIANA,**

QVAM

FAVENTE DIVINA GRATIA

IN ACADEMIA HASSO-SCHAVMBVRGICA

EX DECRETO

ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICÆ

P R A E S I D E

VIRO MAGNIFICO, CONSULTISSIMO, EXCELLEN-  
TISSIMO ET AMPLISSIMO,  
DOMINO

**FRIDERICO VLRICO PESTEL**

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE CELEBERRIMO, EIVSDEMQUE  
PROFESS. PRIMAR., NEC NON PHILOSOPHIÆ MORALIS  
PROFESS. PVBLICO ORDINAR. MERITISSIMO,  
H. T. ACADEMIÆ RECTORE,

**PRO LICENTIA**

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
RITE CONSEQUENDI,

DIE DECEMB. A. O. R. M DCC XXXII.  
PVBLICÆ DNN. PROFESSORVM DISQUISITIONI

SVMMITET

**FLORINV FRIDER. MARQVAR**

LEMGOVIA-WESTPHALVS.

**RINTELII**

TYPIS IOH. GODOFR. ENAX, ACAD.TYP.

KÖNIGFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE

